OBSERVATIONES GRAMMATICAE

IN

CATULLI VERONENSIS LIBRUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINI

AD


SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

OBTULIT

FRIDERICUS HEUSSNER

GYMNASII CASSELLANI PRAECEPTOR.



MARBURGI CATTORUM

MDCCCLXIX.

GEORGIO · HEUSSNERO
PATRI · CARISSIMO
PIETATIS · CAUSA
D · D · D
FRIDERICUS · FILIUS

Postquam Ennius ille Calaber hexametro dactylico adhibito novas atque integras poeticae vias reperit, artis priscae rationes prorsus immutavit, multumque ad invertendam et stabiliendam artem metrorum atque dictionum grammaticarum eius auctoritas valere coepit — ad quem proxime accedunt Lucilius et Attius —, poetae, qui inde provenerunt, magis magisque imitationem antiquissimorum deseruerunt novas illas Ennii rationes secuti. At e dactylicis priores quam maxima usi sunt simplicitate metrorum, prorsus quidem constantes illi in placitis Ennii. Sed qui inde a Sullae morte sunt exorti cum multiformi studuere numerositati tum leporem et elegantiam addidere carmini Latino, ita ut sensim a priorum simplicitate et, ut ita dicam, ruditate, quae, cum in Plauti et Terentii fabulis insit, neque ab Ennio et insequentibus prorsus abest, transitus sit factus ad perfectionem artis, quae ab Augusti inde aetate obtinuit. Itaque non erit mirum, ambiguos esse aliquando et medios Laevium et Catullum cum aequalibus inter placita veterum, quae damnabantur, et novarum rationum novique cultus dulcedinem (L. Mueller de re metr. pg. 74).

Id vero, quod modo dixi, non solum valet in Catulli arte metrica sed etiam in singulis verborum formis, quarum multae, quamquam poeta in universum dictionum venustatem ac modestiam haud parvi aestimat, ad antiquiorum placita recedunt a poetis illis, qui Augusti tempore vixerunt, aliena. At accuratius de

eius genere dicendi et arte tum demum iudicari poterit, cum singula, quibus a poetis quos dicunt classicis differt, composita erunt. Quapropter operae pretium mihi visum est, hac dissertatione ea proferre, quae de Catulli arte grammatica maxime mihi visa sunt digna, quae componerentur. Quaestiones metricas et prosodiacas consulto ab iis seiunxi. In illis vero eam quidem praecipue secutus sum rationem, ut ea enarrarem, quibus antiquiore servato usu Catullus a poetis Augusto aequalibus differt, qui quidem odium contemtumque veterum dactylicorum, nedum scaenicorum prae se ferunt; nam poetae, qui inde a Tiberii aetate provenerunt, ad antiquiores illos saepe recesserunt, Laevium, Varronem, alios potius quam Horatium secuti. Nonnulla etiam uberius exposita sunt, quae poetae nostro cum Augustae aetatis poetis communia sunt, et hoc quidem eam ob causam, quod quaestiones illae cum aliis eiusdem generis arctius cohaerent, et ut Catulli genus dicendi inde luculentius appareat. Quod ut in aliis ita praecipue valet in quaestionibus orthographicis, quas sub finem dissertationis protuli. Ad ea vero quae scripsi componenda maximo mihi commodo fuerunt libri hice: F. Neuii grammatica Latina, L. Muelleri libri de re metrica poetarum Latinorum, ea quae F. Ritschelius nobis in scholis de arte grammatica Romanorum anno h. s. LXII et LXIII Bonnae habitis tradidit. — Ex editionibus Catullianis praeter Lachmannianam potissimum Schwabii editionem (Gissae MDCCCLXVI) secutus sum eadem ratione critica iisdemque notis ad codices designandos usus. Luculentissime enim Schwabius in prooemio ind. schol. Dorpat. a. h. s. LXV et inde in praefatione editionis iam laudatae docuit, eum qui Catullo recensendo operam det, codicis Sangermanensis auctoritate maxime sublevari, quippe qui recta via ex Veronensi libro ductus et a librario prudenti et diligenti scriptus sit. Inde in carmine 62 maxima habenda est fides codici Thuaneo, toto Catulli libro praeter illos Datano, libro Laurentii Santenii,

Colbertino. Libri vero, quorum scripturis in iis quae sequuntur usus sum, ex auctoritate Schwabii (edit. pg. 174) notis designati, sunt:

G: liber Sangermanensis,
D: Datanus,
C: Colbertinus,
L: liber Laurentii Santenii,
H: Hamburgensis,
T: Thuaneus, in quo carmen 62 inest.
d: correctores libri Datani,
p: editio a. 1472.

Libri locis singulis a Schwabio in usum vocati:

Lr: Laurentianus pl. XXXIII 12,
P1: Parisinus 7989.

Accedunt hae notae:

..^{1}, ..^{2}, ..^{3} = manus prima, secunda, tertia post primam,
..^{a}, ..^{b} = prius, posterius scripsit manus eadem.
* littera erasa.
V significat, quae videatur fuisse scriptura codicis Veronensis.

I.

De declinatione nominis.

Pro nominativo tertiae declinationis in *or* finito cum antiquissimi admisissent saepe *os* et aliis et Quintiliano teste, qui dicit (I 4, 14): „Ut Valesii et Fusii in Valerios Furiosque venerunt, ita arbos, labos, vapos etiam et clamos [ac Lases] aetatis fuerunt,“ eo abstinuerunt ut plurimum insequentes praeter illa *honos* et *arbos*, quae ad ultima usque tempora aequabili usu viguere. At apud Catullum (55, 13) *labos* etiam inveni-

mus pro *labor*, quae quidem forma apud antiquiores usitatissima apud scriptores Augustae aetatis semel tantum invenitur Verg. Aen. VI 277, quo loco Labos divina specie indutus apparet (cf. Neuii gr. L. I pg. 169). Exhibent vero loco laudato Catulli illud *labos*, quod propter metrum necessarium est, etiam codices omnes praeter *D*[1].

Inde hoc *turben* pro *turbo* Catullus solus dixit 64, 107. Id enim loco laudato restituendum esse cum Spengelio facile intellegitur cl. Servio ad Aen. VII 378: „Catullus hoc turben dicit ut hoc carmen", quam ad rem firmandam *indomitum* illud *turben* praecedens in cod. *D*[1] facit (cf. Neuii gr. L. I pg. 163). Eadem vero ratio est quae in hoc *sanguen*, quod apud antiquissimos invenimus pro eo, quod postea usitatissimum erat, *sanguis*.

Genetivos substantivorum in *ius* vel *ium* exeuntium ante Augusti aetatem semper una tantum *i* finitos esse satis constat, quam regulam inter eos qui sequebantur etiam Vergilius et Horatius servaverunt. Horum aliorumque exempla composuit Neuius gr. L. I pg. 86 sq. (cf. Lachm. ad Lucr. pg. 326 sq.). Etiam substantivorum Graecorum genetivos in vocalem *i* simplicem exeuntes probarunt nonnulli, in quibus Catullus noster, cuius huc pertinent exempla et Latina et Graeca primum tria carminis 64 v. 282 *Favoni*, v. 278 *Peli* montis (*Pelei* scriptum, de quo cf. infra part. VI), v. 49 *conchyli*, inde 67, 35 *Corneli* recte ita in codicibus tradita. Quibus metri causa addenda sunt a librorum scribis corrupta 26, 2 *Favoni* (codd.— *ii*), 39, 4 *fili* (codd. — *ii*), 63, 64 *gymnasi* (sic *H* — *gymnasti GLC ginasii D*[1]); cf. F. Buecheler de declin. lat. pg. 37.

Herculei 55, 13 si cui genetivum, non, quod Lachm. ad Lucr. pg. 246 in. docet, dativum esse cum Doeringio (annot. ad h. v.) probare placet, minime tamen laudanda est huius ratio, secundum quam *Herculei* ex *Herculeus* nominativo descendit ut *Achillei* et *Ulixei* ex *Achilleus* et *Ulixeus*. Sunt enim

prorsus diversa haec nomina. *Ulixes* et *Achilles* habent formam Graecam in *εύς* exeuntem, *Hercules* non habet; itaque *Euthyclei* apud Cels., *Oeclei* apud Hygin., *Alyattei* apud Hor. (Carm. III 16, 41) exceptis eiusmodi genetivos aliorum nominum in *es* non reperimus. Neque igitur per synizesin legendae sunt vocales Graecanicam, quae a Catulli inde tempore in usum venit, ut c. 64 v. 120 *Thesei*, v. 382 *Pelei*, v. 229 *Erechthei* (coni. ex *freti* codicum), ad quae cf. eiusdem carminis v. 336 *Peleo* et v. 178 *Idomeneosne* (sic *H* — *Ydoneosne G Idmoneosne* G^2 L^a *C Idoneos ne D*[1]), sed *ei* illud hoc loco nil aliud significat nisi *i* productam, de qua re infra disseram, et genetivus hic evadit *Herculi*. Ac tales quidem genetivos nominum propr. Graecorum in *es* exeuntium parisyllaborum ut *Aristoteli*, *Pericli*, etiam *Achilli*, *Ulixi* apud Plautum et Ciceronem saepissime extare grammatici docent, neque desunt exempla genetivi *Herculi* (cf. Neuii gr. L. I pg 341). Post Ciceronem magis ex usu evanuerunt.

Bis apud Catullum habemus *coetu* pro *coetui* dativo (64, 385 et 66, 37) in his: *mortali ostendere coetu* et *caelesti reddita coetu*, cuiusmodi dativi in *u* exeuntes cum apud alios tum apud Caesarem extant, qui Gellio auctore (IV 16) in libris analogicis omnia istiusmodi sine *i* littera dicenda censuit (cf. Neuii gr. Lat. I pg. 366 sq.).

De accusativo secundae declinationis et neutro in *om* atque nominativo in *os* finito videatur infra part. VI.

De ablativo singularis hoc unum moneam, c. 68, 124 in omnibus codicibus *capiti* scriptum esse pro *capite*, quae forma ut antiquior, cuiusmodi etiam *carni*, *parti*, *sorti*, *sermoni*, alia apud antiquissimos invenimus, hoc certe loco retinenda est. Extat eadem apud Tibullum I 1, 72, eandemque nostri poetae carm. 88, 8 fortasse revocandam esse Nobbius censet (de metris Catulli, Lips. 1820. 21. II pg. 10), quo loco libri manu scripti *capite* exhibent (cf. huius dissertationis part. VI).

Minus rarae sunt formae tales, quales 66, 46 et 64, 212 *classi* atque 62, 43 *ungui*, quippe quae ex nominativis in *is* exeuntibus descendant. *Classi* alterum, quod 64, 212 in libris optimis (praeter *L*, qui *classem* habet) extat, addubitatum est; ita a Schwabio, qui nuper in editione Catulliana ex Minturni excerptis *castae* recepit.

Utrum Catullus nominativo pluralis *di* scripserit an *dei* an *dii* haud facile est ad diiudicandum, idemque valet de dativo et ablativo pluralis eiusdem vocabuli. *I* duplicatam plurimis locis non a Catullo scriptam, sed a librariis pro *ei* substitutam esse adducor, *ei* diphthongo vero cum in aliis vocabulis tum in illo, de quo agimus, plerumque nil aliud mihi videtur significari nisi *i* longa, qua de re sub finem huius dissertationis uberius agere mihi in animo est. Unam litteram productam illis scripturis indicari probat imprimis ratio metrica, nam fere omnibus locis quibus legimus *dii* et *diis* itemque *dei* et *deis* monosyllaba sunt. Iam componam exempla Catulliana. *Dii* in codicibus inest 13, 2; 14, 6 et 12; 28, 14; 30, 11; 53, 5; 76, 17; 109, 3, sed ubique monosyllabum. *Dei* monosyllabum uno extat loco 76, 26. Eiusdem carminis v. 12 *deis* monosyllabum restituendum videtur ex *des* codicum. Uno loco 4, 22 *diis (deis p)* disyllabum a poeta usurpatum est. At apud antiquiores plurimum et *dii* et *diis* monosyllaba fuisse, et in optimis libris manu scriptis *di* et *dis* tradita esse, neque vero ab usu insequentium abhorrere Neuius docet gr. Lat. I pg. 100 sq., qui multa composuit exempla.

Iam pervenimus ad genetivum numeri pluralis, ac primum paucis genetivos in *um* ex *arum* vel *orum* contractum exeuntes attingam. Eiusmodi genetivos ut 68, 138 *caelicolum*, 64, 355 *Troiugenum*, inde *deum* 64, 23 et 66, 63 (ubi *deum me* ex *decumme* codicis restituendum est), tum *divum* 64, 27 et 387; 76, 4 (fortasse etiam 68, 118 cum *D*[1] retinendum, quo loco alii aliter emendandum coniecerunt) saepissime etiam apud alios

legimus, *virum* in compositis ut *duumvirum, decemvirum* usitatissimum simplex apud Lucretium compluribus locis, apud nostrum bis (64, 192 et 68, 90) legimus; atque etiam apud poetas, qui post Catullum carmina composuerunt, imprimis apud Vergilium, saepius invenitur (cf. Neuii gr. Lat. I pg. 110). Nam Vergilius cum dactylicus sit, cuius aetas non ita multum differt ab aetate Catulli, et ipse multa servavit, quae antiquiorum sunt poetarum.

Ex genetivis tertiae declinationis, qui in *um* pro *ium*, quod quidem usitatum est, exeunt, hos apud Catullum notandos inveni: 64, 191 et 204 *caelestum*, quod apud Naevium et Lucretium (VI 1272) extat; 100, 2 *Veronensum*, quod, cum in cod. *G* et *D* insit, retinendum est, neque probari potest scriptura *Veronensium* per synizesin metro accommodanda (cf. Neuii gr. L. II pg. 22), postremo 34, 12 *sonantum*, quod et ipsius metri causa est restituendum pro *sonantium*, quod in codicibus inest. Neque talia ab usu poetarum Catullum sequentium abhorruerunt.

Difficilior quaestio est de accusativo pluralis tertiae declinationis in *is* exeunte, cum hac in re multum codicum scribis sit tribuendum nec pro certo affirmari possit, quid poeta scripserit. Ac ne ea, quae plerisque sunt nota, repetam neve trita recoquam, de hac accusativi formatione, ut alios omittam, cf. Neuii gr. L. I pg. 250—263, qui exempla plurima ex codicibus depromta affert, et F. Buecheleri librum de declin. Lat. pg. 26—30, cuius observationes nos docent, in inscriptionibus saeculi septimi u. c. exeuntis, quo tempore Catullus carmina sua composuit, *eis* in fine accusativi pluralis saepius scriptum esse ex *es* antiquiore ortum. Si vero apud Gellium (XIII 20) legimus, iam saeculo altero post Chr. n. in codice manuscripto Vergilii tum pro antiquo habito et *urbes* et *urbis* scriptum fuisse, nos quidem ex Catulli codicibus certas regulas statuere non possumus. Attamen operae pretium erit singulos locos,

quibus optimi codices *is* (vel *eis)* exhibent, vel ex quibus codicem Veronensem *is* habuisse efficitur, componere. En, hi sunt. Ac primum quidem in medium proferam accusativos vocabulorum genetivo pluralis in *ium* exeuntium, in quibus haud quidquam inest offensionis. Nominum substantivorum accusativi hi sunt: 33, 7 *natis (nates D*[1]), 66, 12 *finis (fines D H)*, 64, 170 *auris*, 64, 233 *collis (colles H)*, 97, 5 *dentis* (in codd. omnibus, sed vocabula quae antecedunt et sequuntur corrupta sunt). Iam ad adiectiva transeamus, quorum haec mihi composui exempla: 2, 4 *acris*, 2, 10 *tristis*, 51, 5 *omnis*, quod 68, 26 solus *D* codex exhibet, 64, 302 *iugalis (iugales D H)*, 64, 262 *tenuis*, 68, 76 *caelestis*, 68, 102 *penetralis (penetrales D)*, 62, 3 *pinguis* (*T H pingues* ceteri), 64, 407 *talis*, 65, 3 *dulcis Musarum* (ex *dulcissimus (dulcissimo H) harum GLCH)*, 101, 8 *tristis (tristi GLCH p)*, 97, 5 *sesquipedalis* (ex codicum scriptura corrupta recte restitutum, in quibus omnibus postremae certe syllabae — *dalis* insunt); denique 64, 391 *evantis* (cuius in litteris — *antis* omnes libri (praeter *H*, qui *errantibus* habet) congruunt) et 64, 65 *lactantis*. At etiam nominativum pluralis saepe litteris *is* terminatum esse constat (ita Varro l. L. VIII 63 hae *puppes* et *puppis*, hae *restes* et *restis* in usu esse dicit), quod praecipue valet in vocabulis genetivo pluralis in *ium* cadentibus. Eiusmodi exemplum habemus 64, 276 *linquentis* (in omnibus codd. praeter *DC p*, qui *linquentes* habent). Etiam eandem formationem vocativus pluralis praebet 62, 11 *aequalis* (omnes codd., etiam *T)* et eiusdem carminis v. 32, ubi cod. *T* saltem *aequalis* exhibet *(aequales L aequales*" *G aequalem DCH*). Ita hoc loco et eo, quem supra laudavimus, 62, 3 liber Thuaneus antiquiorem scripturam nobis videtur asservasse.

Magis offendimus in accusativo *hominis* (10, 16), qui in omnibus inest codicibus, quippe qui non ex radice in *i* exeunte descendat. Itaque dubium est, utrum hoc poeta ipse scripserit,

an librorum scribis sit tribuendum, cum Buechelero l. l. auctore talium vocabulorum accusativi in *is* in optimis et antiquioribus inscriptionibus non inveniantur, qui quidem in inscriptionibus inferioris latinitatis et in libris manu scriptis saepius nobis obveniunt. Ut vero locos, quibus *hominis* illud invenitur, afferam, hi sunt: 1) in titulo libertini Caesaris aetati tribuendo (C. I. L. I n. 1027); 2) apud Ter. Andr. 4, 2, 12 Nonio auctore pg. 252; quae quidem scriptura in codicibus manu scriptis exempli gratia inest Plautinis (Mil. glor. 660: *tris hominis).* Atque idem, quod de *hominis* forma dixi, valet de *libidinis* (45, 24, quo loco *LHdp libidines* habent). Itaque utrum in iis quae dixi vocabulis poetae nostro *is* sit tribuendum, ideoque idem etiam aliis locis sit restituendum, an illis ipsis locis *eis* scripserit, quod saeculo fere septimo pro *is* et prius quam hoc scribebatur, ea de re nunc nihil discernere possumus. Satis habui locos singulos, quibus *is* illud legimus, componere.

Adiciam in fine disputationis de nominum casibus Graecas formas, quibus Catullus usus est, pauca prius praefatus de universis, quae legimus apud L. Muellerum (de re metr. pg. 387 et 388): „Igitur cum vetustissimi auctores raro flexiones exterigenas adsumpsissent — qui et illud valde amarunt, declinationem Graecam per metaplasmos adaptare ori Latino —, iam ab Attii inde et Lucilii tempore minus versibus ut subveniretur quam iactantia studiorum valde increbuerunt terminationes Graecae, quod et Varro testatur in libro de lingua Latina X —. At Vergilius cum consortibus studiorum abiectis aut ad modicum usum redactis flexionibus quibusdam externis alias proprio exemplo cum sanxisset, insequentes pauca neque ea gravia novavere. Praeterea dignissimum est memoria illud, verborum Graecorum, si propria aut technica exceperis, omnino copiam maiorem quam apud recentiores inveniri libris eorum, ad finem saeculi a. u. c. septimi qui vixere. Et hoc quidem partim communis sermonis usu partim iactantia evenit studiorum.“ Quorum in

numero etiam Catullus noster habendus est, apud quem multa et integra invenimus vocabula Graeca et ad morem antiquissimorum in fine per metaplasmos ori Latino adaptata. Ita 64, 54 *Ariadna* (*adriana GD*[1] *CH*), quod iterum eadem codicum scripturae varietate v. 253 extat, neque alteram formam Graecanicam nominis illius apud Catullum legimus, 61, 29 *nympha*, 68, 87 gen. *Helenae*, 45, 6 abl. *Libya*, quibus addo 4, 1 *phaselus*, quod vocabulum apud Ovidium et Horatium Graecum tenet exitum (Neuii gr. L. I pg. 130), et 12, 13 *mnemosynum* = μνημόσυνον (codd. *nemo sinum*) rarius, 68, 108 *barathrum* usitatius. Addere his placet etiam gen. sing. *apeliotae* (26, 3) et accus. plur. *catagraphos* (25, 7) ut vocabulorum praeter nostrum a solo Plinio usurpatorum. Nisi, quod multis placuit, 29, 8 *idoneus* codicum retinendum est praecedente *haut* (*aut ydoneus* (*idoneus LCHp*) *GD*[1] *LCHp*), illis adiungenda est forma *Adoneus*, quam Statio debemus. Extat illud vocabulum apud Plautum Men. 1, 2, 35: „Ubi aquila Catamitum raperet aut ubi Venus Adoneum“ atque conformatum est ad vocem Graecam ὁ Ἀδώνιος = Ἄδωνις Bekk Anecd. 346.

Iam ad Graecanicas pervenimus nominum formas, quas apud Catullum reperimus. Ac primum quidem utitur nominibus propriis in *e* exeuntibus et apud alios usitatissimis. Ita habemus *Cybele* vel *Cybebe* nom. et vocat. c. 63, *Acme* (45, 10 et 23), *Aganippe* (61, 30), *Hebe* (68, 116), genetivum *Cybeles* et *Cybebes*, quod posterius v. 9, 20, 85 carminis 63 (ut *Cybebe* v. 84 et 91 ex *Cybele*) emendatum est ex *Cybeles*, quia longa syllaba media desideratur, postremo *Arsinoes* (66, 54). Accusativo posuit 45, 1 et 21 *Acmen*, 64, 11 *Amphitriten* (nam — *em*, quod codices habent, corrigendum est; cf. Neuii gr. L. I pg. 59 ex.). His etiam addendus est accusativus primae declinationis *Booten* ex nominativo *Bootes* descendens 66, 67 (nisi quis probet, — *em* codicum retinendum esse, ita ut accusativus tertiae declinationis sit). Tum secundae

declinationis accus. *Athon* (66, 46) dixit, vocativo tertiae *Amastri* (4, 13), *Peleu* (64, 26), *Theseu* (64, 69 et 133), accus. *Pelea* (64, 21 et 301) pro *Peleum*, *Thesea* (64, 239 et 245) pro *Theseum*, de quibus Charis. I 14 pg. 27: „Quamvis regula dicat Peleum, tamen Pelea dicimus in accusativo; similiter et in vocativo o Tydeu. Nam Graeca declinatio magis in istis casibus praeponitur.“ Similiter accusativum Graecum servaverunt *Minoa* (64, 85), *Propontida* (4, 9), *Amathunta* (36, 14), *Ancona* (36, 13. cf. Neuii gr. L. I pg. 333), quibus *aera* (66, 53. *aeria LCH*) addam et *aethera* (63, 40), praeter poetas etiam a Cicerone usurpata, postremo *Attin* (63, 42). Non minus in usu est apud poetas accusativus pluralis tertiae declinationis in *as*, cuius exempla apud Catullum sunt: 64, 391 *Thyiadas*, 4, 7 *Cycladas*, 55, 27 *plumipedas* (*plumidas* L^1 *plumipedes* D^1, quod Lachmannus recepit). — Genetivo sing. Catullus 66, 54 *Locridos* videtur dixisse ex codicum scriptura corruptissima restituendum.

Quae nunc componam multo minus apud Romanos in usu fuerunt quam de quibus supra disputavi, ideoque ab illis seiunxi. 64, 247 *Minoidi* (codd. *minoida*) et 66, 70 *Tethyi* (codd. *theti*) legimus *i* correpta, cuiusmodi bina praeter haec exempla Statii in medium profert Neuius gr. L. I pg. 309. — 66, 66 extat dativus *Callisto* (cf. I. R. Neap. 5218: *Erato*) addubitatus a Neuio l. l. pg. 310. Etiam apud alios in usu est neutr. plur. *Tempe*, quod apud nostrum ter extat (64, 35. 285. 286), non vero item *pelage*, quod accus. plur. 63, 16 coniectura restitutum est (cf. Schwabii annot. ad h. v.). *Pelagi* codicum Lachmannus retinuit, quem genet. eiusdem vocabuli 63, 88 (codd. *pelago*) et 64, 127. 185 legimus. Postremo ex coniectura verisimillima habemus 66, 48 gen. plur. *Chalybon* (*celitum* codd.), quod Politiano debemus, 64, 287 dat. plur. *Naiasin* (*Minosim* GD^1 *Lp*), quod Hauptius correxit (cf. Mitscherlichii lect. pg. 133: „Hoc tamen ex tanta lectionis varietate mihi adsecutus esse videor,

latere aliquod sub his monstris nomen, quo nymphas et Graeca quidem flexione Catullus indigitaverit"). Eandem terminationem Graecam primus Varro, inde aliquoties Propertius Ovidiusque adhibuerunt. — Rarius etiam legimus nomen appellativum tale, quale 61, 194 *parthenice* pro *parthenium* Plinii, a Catullo solo adhibitum, et *palimpseston* accusativum, qui restituendus videtur 22, 5 ex *palmi septo* codicum. — 66, 94 Catullus forma *Oarion* pro *Orion* utitur, 64, 285 aut *Penios* ex librorum optimorum auctoritate aut *Peneios* cum *D* scribendum est (*Penios G*[3] *LH penies GC peneios D*[1] *peneos dp*).

Restat, ut de adiectivo unum moneam, quod mihi est in promptu.

Poeta noster si modo 29, 23 scripsit *piissimei*, quo loco multum iam a viris doctis tractato codices *GDHp opulentissime* et *LC [P 1] oppulentissimae* exhibent, usum antiquiorem retinuit, quem scriptores mediae et infimae latinitatis denuo adoptarunt. Quam formam a Cicerone Phil. XIII 19 ut non Latinam reiectam et in inscriptionibus et apud scriptores Augusto minores reperimus (cf. Neuii gr. L. II pg. 82. L. Muelleri lib. de re metr. pg. 385).

II.

De declinatione pronominis.

De *mi* pro mihi dicto cf. quae infra part. V in medium protuli.

Tete accus. geminatus, qui c. 101, 5 extat, rarissime invenitur (apud Plaut., Terent., Cicer., Appul.).

Nominativo numeri pluralis pro *hae* Catullus *haec* dixit 64, 320 ex optimorum librorum auctoritate, qui *hec* habent (L.

Mueller de re metr. pg. 386. H. Usener ann. Jahn. 91 pg. 226). Quam formam antiquiorem, quae eodem modo orta est ex *haece* ut *hunc* ex *huncc, hoc* ex *hoce* etc., etiam Ciceroni tribuendam esse docuit Fleckeisenius Mus. Rhen. VII pg. 271 sq., eandemque Vergilius adhibuit aliquoties (cf. Neuii gr. L. II pg. 150). Ut pauca etiam afferam exempla casuum aliorum eiusdem pronominis apud antiquos similiter conformatorum, nominativo pluralis masculini *hic* Lucilius, *heic* Pacuvius dixerunt, atque *horunc* et *harunc* gen. plur. apud Plautum et Terentium compluribus locis legimus. Nec minus huc pertinet, quod Catullus 67,37 neutro pluralis dixit *istaec* (*isthaec* libri; *iste G H*) et 50, 5 ablativo sing. *illoc* in his: *numero modo hoc modo illoc.*

Difficillimum est ad diiudicandum, ut pauca de pronomine relativo disseram, utrum *quoi* an *cui* scripserit poeta, qua in re editores inter se discrepant. Nonnulli certe loci nobis firmare videntur Catullum *quoi* scripsisse. En primum loci quibus in omnibus libris *cui* legitur: 22, 20 *cuique*, 30, 6 *cuive.* Etiam 23, 1 (om. *L*[a] *C quoi p*) et 64, 219 (*quem G al'. cui G*[2]) in codice Veronensi *cui* videtur scriptum fuisse. Sed 1, 1, codicum vestigia si sequimur, Veronensis *qui* videtur habuisse, scripturam ex *quoi* Catulli ortam, nec minus 2, 3; 67, 47; 24, 5; quibus locis vel in optimis codicibus vel in nonnullis optimorum *qui* illud legimus. Fortasse ex *quoi* antiquissimo 17, 14 lectio librorum optimorum *cui iocum sit* pro *quoi cum sit* orta est, et 107, 1 ex codicum optimorum lectione *si quicquid* fortasse cum O. Ribbeckio ann. Jahn. 85 pg. 378 *si quoi quid* restituendum est. Haec hac de re componere mihi licuit, pauca quidem parvaque fide subnixa, attamen, nisi fallor, digna, quae non pro nihilo aestimentur. Extat vero *quoi* illud in multis inscriptionibus et apud Plautum, etiam compluribus locis librorum manu scriptorum Ciceronis et Vergilii (cf. Neuii gr. L. II pg. 165).

Quae de ablativo singularis et pluralis pronominis *qui quae quod* ex Catulli carminibus eruere potui, haec sunt. Quum is

2

et *quo* et *qua* formis. abl. sing. utatur, 2,2 formam *quicum* antiquiorem exhibent libri pro *quocum*, 66, 77 pro *quacum*, cuius etiam exempla multa alia apud Plautum, Vergilium, Ciceronem, alios invenimus (cf. Neuii gr. L. II pg. 166 sq.). *Quis* abl. plur. pro *quibus* extat 68, 13; 64, 80 et 145, quo loco in *G* super *quis* manus recentior scripsit *pro quibus*. Utuntur hac ablativi forma potissimum Varro, Sallustius, Livius, Tacitus (Neuius l. l. pg. 170 et 171). Et illis locis utrum Catullus *quis* an *queis* scripserit dubium est.

Magni momenti illud est, quod Catullus 66, 28 forma antiquiore *alis* utitur, quam hoc loco omnes praebent codices, et 29, 15 neutro *alid*, quod Statio debetur (*alit GLCHp ait D*[1] cf. Lachm. ad Lucr. pg. 286). Ac prior quidem forma masculini praeter nostrum locum nunc non extat nisi in inscriptione a. 696 u. c. tempori Catulli conveniente et Sallustio tribuitur a Charis. II pg. 133 cl. Diom. I pg. 323 (cf. Neuii gr. L. II pg. 155). *Alid* quamquam saepius invenitur, praecipue apud Lucretium, tamen apud nullum eorum scriptorum, qui post Catullum vixerunt, legimus. De illis ipsis vero similibusque nominativis ut *Caecilis*, *Naevis*, *Clodis*, aliis declinationis antiquioris medio saeculo septimo usitatis, qui postea ex usu evanuerunt, egit Ritschelius de declin. quadam Lat. reconditiore (Bonnae 1861).

Unum postremo notabo, semel a Catullo dici *uni* (17, 17) pro vulgato *unius* in his: *nec pili facit uni*, qualis genetivi forma ut vocabuli *uter* nullo loco ita vocum *unus*, *solus*, *ullus* apud antiquiores tantum Augusti aetatem praecedentes invenitur (cf. Neuii gr. L. II pg. 185 sq.). De *i* genetivi *unius* correpta (5,3) et similibus (ut *totĭus* 17, 10; 37, 9. *illĭus* 10,31; 66, 85; 64, 348; 68, 44. *ipsĭus* 64, 43 et 67) nunc non uberius disseram, cum, quod iam supra dixi, prosodiacas quaestiones secluserim. — At vocat. *une*, quem apud Plaut. et Augustinum invenimus, apud nostrum extat 37, 17.

III.

De adverbio.

Haud alienum ab hoc loco erit adverbia componere a Catullo non ad usum quotidianum conformata. Nonnullis equidem locis accusativum neutrius generis usurpat pro adverbio in *-iter* exeunte: 42, 8 *turpe incedere*, 61, 7 *suave olentis amarici*, 61, 219 *dulce rideat*, ad quod illud Horatii comparamus: *dulce ridentem Lalagen amabo, dulce loquentem.* Magis offendimus in adverbio *penite* (61, 178: *poenite L ponite H penitet D*[1]), quod hoc solo loco legimus pro *penitus* usitato (62, 14 versu ex solo cod. *T* recepto, 66, 23; 102, 2; 95, 5). Nec minus notabilia sunt adverbia *puriter*, quod bis extat apud nostrum (76, 19 et 39, 14: *pariter Hp [L r]*), aliquoties apud Catonem, et *properiter* Frgm. 4; si modo cum Nonio Catullo attribuendus est versus (cf. Schwabii annot. ad hoc frgm.), cuiusmodi adverbiis litteris *-iter* terminatis Ennius imprimis usus erat ex sermone vulgari usurpatis, quae Prisc. XV pg. 1010 composuit.

IV.

De declinatione verbi.

Initio particulae de verbi declinatione liceat mihi notare *solvendi* verbum a Catullo ter cum *u* vocali adhibitum esse, *volvendi* verbum bis. Quae quidem ab auctoribus elegiacis saepius ita sunt usurpata, unde probatur verba illa *u* habuisse mediam inter vocalem et consonam, antiquis fortasse temporibus meram vocalem. Loci vero quos dico hice sunt: 2, 13 *soluit* (apud Schwabium I[b] 6), 61, 53 *soluunt*, 66, 38 *dissoluo*, 66, 74 *evoluam* (pro *evolue* librorum certa coniectura resti-

tutum), 95, 6 *pervoluent* (codd. *pervoluit*). Illius verbi formas eodem modo cum *u* vocali usurpatas apud Tibullum complures reperimus, huius exemplum extat apud Prop. I 7, 16 (cf. Struvius de declin. et coniug. Lat. pg. 300 et 321).

Duo inde habemus in Catulli carminibus verba, quae per metaplasmum tertiae accedunt coniugationi: 39, 14 *lăvit,* quod Prisc. IX 6, 34 auctore antiqui tertiae quoque coniugationis declinatione proferunt, 64, 402 *poteretur* pro *potiretur* codicum metri causa scribendum. *Tuor*, quod 20, 5 legimus, cum carmen illud Catullo non sit tribuendum, Catullianum non est. Utitur vero praeter antiquiores *lavere* illo Horatius, formis verbi *potiundi* tertiae coniugationi adaptatis Ovidius, ut alios omittam (cf. Neuius l. l. pg. 321 et 322). Servius cum ad Verg. Aen. IV 409 annotet: „Dicimus a tertia coniugatione esse imperativum *(cave)*, ut *cavo*, *cavis*; hinc etiam Catullus *cavére* dixit“, errat, nam *cavĕ* apud Catullum 50, 18. 19; 61, 152 est imperativus secundae coniugationis *e* correpta, qualis apud tragicos veteres sexcenties, apud poetas Catullo minores raro reperitur (cf. Neuius l. l. pg. 333).

Pro *-iebam* imperfecti quartae coniugationis antiquissimis temporibus fere ubique *-ibam* contractione dicebatur, quae quidem imperfecti formatio ne apud aureae quidem aetatis poetas plane ex usu evanuit, quod Verg. Aen. XI 572 *nutribat*, VII 485 *nutribant*, VIII 160 *vestibat*, Ov. Met. VI 21 *mollibat*, Prop. I 3, 25 *largibar*, alia testantur. Eiusmodi exempla Catulliana haec sunt: 68, 85 *scibant (scribant D*[1] *sciebant dp),* 84, 8 *audibant (audiebant GLCH [P1]),* 64, 319 *custodibant (custodiebant GLCH p).* Ita contra codicum auctoritatem scribendum esse, ubi metrum unam desideret syllabam, Bentleius in editione Terentii docet.

Iam ad perfecta Catulliana et tempora, quae inde descendunt, transeamus. 34, 8 pro *deposuit* librorum metri causa *deposivit* restituendum est, quod perfectum apud Plautum

saepius, apud scriptores Catullo minores nusquam legimus (Neuii gr. L. II pg. 386. cf. Struvii lib. de declin. et coniug. Lat. pg. 198). *Ferendi* verbi perfectum reduplicatum legimus 63, 47 *tetulit* (codd. *retulit*), 63, 52 *tetuli* (codd. *retuli*) et plusquamperf. 66, 35 *tetulisset* (*te tulisset GLH retulisset D*[1]), qualia apud scriptores Augustae aetatis non extant (cf. Neuium l. l. pg. 357. Struvium l. l. pg. 160).

Quibus subicio exempla syncopes et usitatioris et rarioris. Ac primum quidem exempla syncopes usitatissimae, quae ea est, ut ex *avi* sequente *s* et *ave* sequente *r* longa fiat *a*, haec fere apud nostrum legimus: 10, 15 *comparasti*, 25, 6 *involasti*, 99, 12 *cessasti*, 64, 97 *iactastis*, 16, 3 *putastis*, 53, 3 *explicasset*, 64, 174 *religasset*, 64, 2 *nasse*, 67, 23 et 76, 3 *violasse*, 67, 24 *conscelerasse*; 10, 32 *pararim*, 13, 12 *donarunt*. Itidem usitata, quamquam non tam divulgata quam illa, de qua modo egi, ea est syncope, qua secundae et tertiae coniugationis perfecta, quae in *evi* exeunt, sequente *s* vel *r* pro *evi* illo longam habent *e*, cuiusmodi duo exempla unius verbi apud Catullum inveni: 64, 176 *requiesset* (loco corrupto, quo codices optimi *consilium nostris requisisset* exhibent pro eo, quod restituendum videtur, *consilia in nostris requiesset*); 84, 7 *requierant*. Eodem modo duae syllabae in unam coalescunt in perfecto *novi* cum compositis, cuius apud Catullum quinque sunt exempla haece: 67, 37 *nosti*, 72, 1 *nosse*, 91, 3 *cognossem*; 3, 6 *norat*, 66, 26 *cognoram*. Quartae coniugationis verba et tertiae, quae litteris *ivi* terminantur tempore perfecto, ita imminuuntur, ut *v* sequente *s* littera elidatur et *ii* in *ī* coalescat, unde hae existunt formae: 15, 3 *cupisti*, 67, 3 et 5 *servisse*, 36, 5 *desissem* (coniectura haud dubitanda pro *dedissem* codicum); inde in his ab *eundi* verbo derivatis, cuius composita etiam prosa oratione *v* semper elidunt: 84, 11 *isset* (*esset G*), idem 68, 86 (*esset D*[1]), 68, 85 *abisse* (*abesse H*), 8, 2 *perisse*. Rarissima sunt talia, qualia

sequuntur: 66, 30 *tristi* pro *trivisti*, tum *e* cum *i* antecedente in unam litteram ī coalita 66, 91 *siris* pro *siveris*. Id enim ex scriptura corrupta librorum (*ūris GDH vestris LCp*) cum Lachmanno reponendum videtur nec probandum, quod L. Mueller de re metr. pg. 399 dicit, Catullus *siris* an *sieris* posuerit, plane non liquere. Exempla vero formarum ita ut dixi contractarum huius verbi Struvius de declin. et coniug. Lat. pg. 170 affert. Maior etiam offensio inest in eo, quod ideo in fine posui, 66, 18 *iuerint* (*iuverint GDLC viverunt H iuerint p*), cuius verbi *adiuero* formam legimus apud Ennium (Ann. 339. Cic. de sen. 1), *adiuerit* apud Plaut. Rud. 2, 1, 16 et Terent. Phorm. 3, 3, 4 (cf. Neuii gr. L. II pg. 416. Corssenii librum Ueber Musspr., Voc. u. Bet. der lat. Spr. I pg. 137 ex.). Quamquam enim etiam alias formas implicatis mutatione stirpibus complures invenimus, quibus etiam *norat*, *nosse*, aliae, quas supra composui, adnumerandae sunt, tamen frequentia usus in illis prava mitigabatur ratio (L. Mueller de re metr. pg. 399).

At etiam perfectorum, quae habent *si*, *psi*, *xi*, aliquando per syncopen imminutorum ab tragicis antiquis, Lucilio, Varrone, Lucretio exempla apud Catullum legimus haece: 91, 9 *duxti* (*id duxti* scribendum pro *induxti* codicum), 66, 21 *luxti* (*lusisti D*[1] *luxisti d*), 14, 14 *misti* (metri causa ex *misisti* codicum restituendum), 77, 3 *subrepsti* (coniectura non dubitanda pro codicum plurimorum et optimorum scriptura *subrecti*), 99, 8 *abstersti* (quod non minus certa coniectura ex codicum lectione valde turbata videtur enucleatum esse; cf. Schwabii edit. pg. 216), 110, 3 *promisti* (metri causa pro *promisisti* codicum) eiusdemque carminis v. 5 *promisse* (codd. *promissa*). Aliquoties similia invenimus apud Verg. in Aen. et Hor. in Serm., neque a Cicerone prorsus alienum est id genus (cf Neuii gr. L. II pg. 419). — Inde coniunctivi perfecti forma antiquior *ausit* ex primaria *ausesit* pro *auserit* orta 66, 28 (codd. *aut sit*) et cum *comparararier* repetita ter c. 61 v. 65. 70. 75

extat, quam quidem formam praeter Plautum etiam Ovidius et Livius adhibuerunt. Fortasse 68, 28 *tepefaxit* scribendum est pro *tepefacit* codicum (cf. Lachm. annot. ad h. l.). Sed hunc locum cum alii aliter emendandum coniecerint, neque ulla coniectura certa nitatur auctoritate, mihi plurimum placet id quod Bergkius scripsit *tepefactet* etiam a Schwabio novissime in editione receptum. In fine ponam futuri II formam obsoletam *recepso* (44, 19) natam ex primaria futuri forma *recepseso* (Neuii gr. L. II pg. 427).

Imperativis *dic*, *duc*, *fac*, *fer*, qui usus frequentia finalem perdiderunt, accedit Catulli *inger* (27, 2 codd. *ingere*). Contra vero *face* integra forma ab eodem Catullo 36, 16 scripta est, quam 63, 78 et 79 recte ex *fac* codicum restituerunt viri docti. Inde in cod. *D* legitur 55, 11 *reduce*, quod fortasse et ipsum poetae nostro debemus. Sed cum locus corruptus sit, eam ipsam ob causam scripturae illi non magna habenda est fides. — Alia de syncope et apocope vid. infra part. V.

Non prorsus forma antiquiore infinitivi in *ier* exeuntis aureae aetatis poetas abstinuisse satis probant, ut alia omittam, exempla Horatii, qui quidem, cum in saturis et epistulis haud raro adhibeat *ier*, eodem alibi semel non saepius utitur et quidem carm. IV 11, 8 *spargier agno.* Saepissime vero illo *ier* utuntur Plautus, Terentius, Lucretius. Exempla, quae apud Catullum legimus, haec sunt tria carminis 61: v. 42 *citarier* v. 65 *compararier,* quod eiusdem carminis v. 70 et 75 repetitur, v. 68, quo loco infinitivus certe in *ier* cadens a poeta scriptus fuit, quamquam in dubio manet, utrum *vincier* sit praeferendum an *nitier* an aliud verbum (cf. Schwabii annot. ad h. v. *nitier [P1]: vicier GC [L r] vincier D L vincirier p).* Postremo 68, 141 coniectura *componier* revocatum est ex *componere* codicum.

Item apud antiquiores ut Terentium et Lucretium saepissime, apud poetas autem Catullum insequentes rarissime nobis ob-

veniunt *potis* et *pote* (ita *potis* apud Verg. Aen. III 671; *potis est* ib. IX 796 et XI 148; apud Hor. Carm. III 17, 13). Apud Catullum haec extant exempla. Ac primum quidem cum verbo *esse potis* iunctum legimus 65, 3 *potis est*, idemque 76, 24, cum coniunctivo *sit* 115, 3, quo versu *potis sit* pro *potuisset* codicum scribendum est. Inde 72, 7 *qui potis est* idem significat quod *qui potest fieri*. *Pote* verbo *sum* omisso idem significat quod *potest* 17, 24; 67, 11; 98, 1, atque 45. 5 metri causa idem illud *pote* pro *potest* restituendum est, et 76, 16 *pote* eodem modo quo *potis* 72, 7 legimus pro *potest fieri* his verbis: *sive id non pote sive pote*. Eadem illa vis 42, 16 inest in verbo *potest*, quod Doeringius in *pote est* disiunxit.

Verbi *inquam* defectivi, de quo sub finem huius partis libelli disseram, prima persona perfecti *inquii*, quae apud alium auctorem Romanum non invenitur, a Scaligero c. 10, 27 pro *inquit* emendatione restituta est, eamque hoc loco et metrum et sententia postulare videntur. Extant vero apud nostrum eiusdem verbi formae praeter *inquam* et *inquit* usitatissimas 72, 7 *inquis*, 10, 14 *inquiunt*, 24, 7 *inquies*.

V.

De syllabis contrahendis, de syncope et apocope vocalium atque consonantium.

Iam exponamus, quae de contrahendis eis quae sunt *mihi* et *nihil* sunt in promptu. Et *nihil* quidem illud quamquam posterioris aetatis usu communi haud dubie distractis in usu est syllabis, idem tamen non minus recte, ut Servii utar verbis, pro metri necessitate cogitur (ad Aen. VI 104). Ac promiscue

his formis *nil* et *nihil* uti Catullum, ut quaeque metro aptissima est, satis testantur hi versus c. 64 (146 et 148):

nil metuunt curare, *nihil* promittere parcunt —
dicta *nihil* metuere, *nihil* periuria curant.

Nihil terdecies in carminibus poetae nostri legimus, praeterea 28, 12 et 61, 197 *nihilo*, *nil* octies praeter *nilo*, quod 97, 3 extat et fortasse iterum eodem versu restituendum est (cf. Schwabii annot. ad h. v.). At multum in his peccaverunt librarii, qui fere ubique *nihil* pro *nil* scripserunt Pluribus de usu *nihil* disyllabi et *nil* monosyllabi exposuit Lachm. ad Lucr. pg. 27 sq. — *Nihil*, quod ante Catulli aetatem producta posteriore, et *nihilo*, quod producta media dicebatur, a poetae nostri inde tempore breviatis illis ponebantur syllabis (cf. Corssenius Ueber Ausspr., Voc. u. Bet. der lat. Spr. I pg. 366), cuius ipsius poetae duo haec sunt exempla 28, 12 et 61, 197.

Restat, ut disseram de *mi* pro eo quod est *mihi* dicto (cf. Neuii gr. L. II pg. 127 et 128). Et hac in re metrica ratio plurimum valet, libris non magna habenda est fides. Quamquam enim nonnullis locis recte in libris scriptum est *mi*, tamen multo saepius evenit, ut *mihi* pro *mi* positum sit a librariis; ita etiam peccavere, ut nonnunquam illud *mi*, quod descendit a *meo*, distenderent (sic apud Cat. 55, 32). *Mihi* quoties apud nostrum extet non enumeravi, *mi* quinquiesdecies fere apud eum legimus vel ex *mihi* codicum corrigere debemus (ita etiam 44, 20 cl. L. Muellero de re metr. pg. 156). Nonnullis locis ex codicum scriptura patere videtur *mei* esse scribendum, quod 77, 3 in libris inest, nam *me* codd. exhibent 21, 11; 37, 11 (ubi Schwabius *mei* correxit), 72, 6 (loco corrupto, cf. Schwabii annot: *ita me nec V*). De usu brevioris illius formae utique vetustioris disyllaba apud poetas cf L. Mueller de re metr. pg. 254.

Iis quae exposui accedit illud *ni* pro *nisi* dictum, antiquiore etiam tempore *nei* scriptum, cuius vestigia etiam apud

Catullum extant, cum nonnullis locis *ne* in libris insit. Ita 14, 1 *ne* in codd. *GLH* inest (*me D*[1] *ni C p d*), 6, 2 *ne* in omnibus legitur libris; 6, 14 codd. *nec*, uno loco (45, 3) *ni* habent.

Alia exempla contractionis, quae apud Catullum reperi, haec sunt. 64, 151 *deessem* ut disyllabum pronuntiandum, ita ut *dēssem* evadat, fortasse etiam scribendum est, de quo L. Mueller l. l. pg. 253: „*dēsse* et *dērrare* constanti semper usu dicitur.“ 50, 21 *vemens* metri causa restituendum est ex *vehemens* codicum (cf. Lachm. ad Lucr. pg. 133 et L. Mueller l. l. pg. 253); 38, 2 *mehercule* tribus syllabis dixit poeta noster, quapropter *mercule* mihi equidem videtur scribendum esse (cf. Lachm. ad Lucr. pg. 152). Non minus enim illud probandum est, quam 25, 13 *deprensa* (*deprehensa GLCHp*), 55, 7 *prendi* (*prehendi GLCH d p perdidi D*[1]) reponendum esse, quod quidem locis qui sequuntur recte in codicibus saltem nonnullis scriptum est: 56, 5 *deprendi G* (*deprehendi DLCH p*), 62, 35 *comprendis DL* (*comperendis T comprehendis CH p G* sed in *G* ras. corr.), fragm. 6 *indeprensus*, si modo Catullianum (cf. Schwabii notam). — 61, 220 pro *semihiante* (ex *sed mihi ante G (michi) DLCH p* correcto) *semhiante* *i* priore demta pronuntiandum certe, fortasse item ut *dessem*, de quo modo egi, scribendum est, cum *semesum*, *semanimum*, cetera bona nitantur codicum auctoritate (L. Mueller l. l pg. 260 in.) — 40, 1 Catullus *Ravide* disyllabum posuit, quod pronuntiandum esse *Raude* docent cum contracta illa *naufragus*, *nauculatur*, *nauta* (ex *navita* antiquiore, quod apud Cat. 64,174 servatum est, ortum) tum quod Ciceronis narratiuncula (de divin. II 40) constat idem ferme sonuisse *Cauneas* et *cave ne eas*. Non vero videtur probanda Nobbii (de metr. Cat. II pg. 24) ratio, qui hunc versum in numero versuum hypermetrorum ducit, quorum quae in vocalem exit syllaba ultima cum prima sequentis versus non scribendo quidem sed pronuntiando est coniungenda. — Iam ut *dein* et *deinde*, quae antiquo certe tempore diphthon-

gum sumpserunt, neque unquam tempore illo diductis syllabis inveniuntur (sic apud Cat. *dein* ter in carmine 5, *deinde* bis in eodem carmine et semel 103, 2), omittam, sub finem id memoro, nostrum c. 82, 3 *ei* dativum pronominis contractis dixisse syllabis, quod rarissime evenit (L. Mueller l. l. pg. 271 ex.), eundemque 64,120 *praeoptarit* coalitis *ae* et *o*. Ac de *ei* quidem illo Lachm. ad Lucr. pg. 152 hoc adnotavit: „*ei* pronomen non scaenici soli in unam syllabam contractum extulerunt sed Catullus quoque pg. 69, 1 *Eripere ei noli* et Manilius *eidem* in III 73".

Alia est ratio vocabulorum eorum, quae littera vocali inter consonas duas elisa imminuuntur, quam quidem rationem syncopen dicimus (cf. de ea Kuhnius Zeitschr. f. vgl. Sprachf. II pg. 370 sq.). Ita *saeculum* apud poetas Catullum praecedentes saepissime in *saeclum* imminuitur. Apud Varronem, Terentium, Plautum haec forma extat, apud Lucretium nusquam *saeculum* sed ubique *saeclum* legimus, et idem sexies Catullus noster scripsit: 1, 10 *saeclo*, 78, 9 *saecla*, 43, 8 *saeclum*, 68, 43 *saeclis (sedis GL*[1] *CH)*, 14, 23 *saecli (seculi GD*[1] *C saeculi LH)*, 64, 22 *saeclorum (seculorum GD*[1] *H)*. Uno loco (95, 6) *saecula* legimus. At forma per syncopen imminuta quamquam apud poetas Catullo posteriores non plane ex usu evanuit, tamen rarius apud eos nobis occurrit. Idem valet in *oraculo*, quod *oraclum* scriptum bis apud Catullum invenimus: 7, 5 (*ora dum GLCH ora dum dum D*[1]) et 64, 326 (*oraculum GLCH)*. Praeterea eo vocabulo non est usus poeta noster. Eiusdem vero carminis illius 64 v. 367 *vincla* habemus. Quibus exemplis adhibitis equidem ego non dubitarim 61, 87 pro *Arunculeia* vel *Aurunculeia* metri causa *Auruncleia* formam restituere, ut versus hi prodeant:

flere desine. Non tibi
Auruncleia periculum est —.

Littera vocali in fine per apocopen abiecta *ten* et *viden*

formae oriuntur ex *tene* et *videsne*, quorum posterior etiam *s* vocis *vides* amisit. Ac primum quidem *viden* illud cum apud antiquiores ut Plautum et Terentium saepissime nobis obveniat, apud poetas, qui Catullum secuti sunt, rarissime legimus (ita Verg. Aen. VI 780. Tibull. II 1, 25). Catullus ut medius iter eos ter illud usurpavit: 61, 77 et 98; 62, 8; bis, ut etiam apud Verg. et Tibull, sequente *ut*, quod et 61, 98 in codicibus inest, hoc vero loco delendum. Nec minus *tun*, *ten*, *tibin* apud antiquiores in usu sunt, ex quibus uno illo *ten* bis Catullus usus est: 43, 6 *ten provincia narrat esse bellam?* et 55, 14 *tanto ten fastu negas, amice?* (quod cum Mureto videtur restituendum esse pro *te in*).

Littera consona elisa est metri causa in illo *typanum* c. 63, 8 et 9 a Scaligero recte pro *tympanum* codicum revocato. Non minus certe mentione dignum est, quod Catullus noster per apocopen elisit *s* finalem litteram verbi *dabis* (116, 8), quod non minus certa coniectura quam *typanum* illud, ne metrum violetur, assequimur. Eodem modo fortasse 107, 7 *magi* pro *magis* scribendum est, ita ut hi evadant versus:

quis me uno vivit felicior, aut *magi* me esse
optandus vita dicere quis poterit?

quod Heysio debemus. Utrum probanda sit 23, 27 Bergkii coniectura, qui pro *satis beatus* scribit *satis beatu's* littera extrema vocis *beatus* deleta, necne, ea de re nunc uberius non disputabo; equidem ego probandam censeo. Sed etiamsi unum tantum illud exemplum, quod est *dabi*, pro certo in medium proferre possumus, tamen id unum testatur Catullum ea in re usum poetarum antiquiorum secutum esse, cuius exempla apud scriptores aureae aetatis nusquam inveniuntur (cf. L. Mueller de re metr. pg. 344 et 345).

Arctius cum illis hoc, quod iam sequitur, mihi videtur cohaerere, quod ideo iis subieci. Saepius apud nostrum invenimus hoc *gnatus*, quod quidem etiam apud. Verg., Hor.,

alios Catullo minores, si codices sequimur, scribendum est. Apud Catullum vox *nati* vel *natae gn* litteris scripta duodecies in libris omnibus manu scriptis inest excepto eo, quod 67, 23 pro *gnati* in cod. *H nati*, 67, 30 idem in cod. *D* [1], 64, 349 pro *gnatorum* in cod. *D natorum* scriptum extat, et 64, 119 pro *in gnata* cod. *G* solus *ingnata* exhibet. In aliis codicibus vox illa corrupta est sed servatis litteris *gn*. Ubi vero voluit corripi vocalem praegressam, semper usus est breviore forma. Quod septies nobis occurrit, quibus locis omnes consentiunt libri; uno loco octavo 64, 298 *gnatisque* codicum *GLC* in *natisque* corrigendum est. Quater (10, 15; 62, 21; 64, 400; 68, 120) *natus* vel *nata* in omnibus libris inest, cum causa illa brevioris formae adhibendae non obtineat.

VI.

Quaestiones nonnullae orthographicae.

De iis, quae nunc disserenda mihi proposui, cum ad meram orthographiam pertineant, neque metrica ratione ut in iis, quae paulo ante composui, adiuvemur, difficillimam quaestionem esse is intelleget, qui naturam codicum eorumque aetatem accuratius inquisiverit. Quapropter in his haud quidquam pro certo statuere possumus, attamen ex nonnullis codicum vestigiis licet nos primum efficere, quae in antiquo libro Veronensi scripta fuerint, et inde conicere, quae Catullus ipse scripserit.

Ut ab usu *o* vocalis ordiar, ea Catullus more antiquiorum saepius videtur usus esse ubi postea *u* scripserunt Romani. Ita dubitari non potest, quin *iocundus*, non *iucundus* scripserit, quippe quae scriptura codicum auctoritate optimorum nitatur. Ut exempla afferam, 9, 9; 14, 2; 46, 3; 50, 16; 64, 161 et 215; 66, 82 formam *iocundus* omnes asservarunt codices, 62, 26 et

47 omnes praeter *T*, cuius quidem in aliis magna est auctoritas; 67, 1 *iucunda* bis *D L p*, 109, 1 *iucundum Lp* (*interdum H*) 68, 16 *iucundum DLp* habent, sed etiam his locis scribendi rationem quam laudavimus praeferendam esse codicis *G* scriptura docet. Minore nititur auctoritate alibi ut 64, 284, ubi codices praeter *DCH iucundo* exhibent; 68, 93, ubi *GCp* quidem *iocundum*, alii (praeter *H: vivendum*) *iucundum* praebent. Attamen ex illis, quae modo composui, satis elucere videtur *iocundus* Catullianum esse. Unde origo vocabuli ducenda sit non constat, neque a *iŏcus* videtur derivari posse *iōcundus*, at antiquior certe ea scriptura fuit atque in hac voce *o* ut vocalis syllabae primitivae diutius servata est, sicut *poplucus* vel *poplicus*, *nontiare*, alia usque ad medium saeculum septimum viguerunt. Cum vero saeculo sexto fere medio pro *o* antiquiore ut in multis aliis ita etiam in finalibus secundae declinationis *u* sit substituta, tamen *o* illa praecedente *u* vel *v* servata est usque ad primos Romanorum imperatores, neque usquam *vivus*, *arduum*, *confluunt*, *tuus*, similia in inscriptionibus ante saeculum septimum extremum reperies. En exempla Catulliana. 53, 3 in omnibus libris *Calvos* forma nominativi inest, 66, 54 *equos*, 61, 54 *novos*; 23, 1 in *servo* codicum *GCH servos* latet (*servus* G^2 *DL p*) et 63, 92 in *tuo* librorum *GD*¹ *C tuos* (*tuus LH d p*). 64, 288 *non vacuos* (*non acuos GL*¹ *CH*, in aliis libris magis corruptum), inde 62, 60 *aequom* scripsit Catullus (*equom T equo GDCH aequum L p d*) et 66, 79 *quom* pro eo, quod nos saepius, Romani non scripserunt, *quum* (*quem GL*¹ *C p* [P_1 omnes Statii] *quam D*¹ *L*² *H*). — Non *vester* sed *voster* in antiquissimis scriptum fuisse libris illud indicat, quod quater *noster* pro *vester* in libris legimus. Loci vero hi sunt: 29, 13 *nostra GLCHp vestra D*; 55, 22 *ve* (scr. *no G*²) *stri G nostri DLCHp;* 66, 87 *nostras GD*¹ *LCH vestras dp;* 61, 209 *nostri GD*¹ *LCHp vestri d.* Inde *divellendi* verbi participium 64, 257 *divolso GD*¹ *CH* (*divulso L d p*) eodem modo quo 62, 40 cod.

T ***convolsus*** (ceteri codd. *contusus*) exhibent, et 63, 5 ***devolsit*** in libris videtur corruptum esse in *devolvit* (cf. Haupt. Q. Cat. pg. 70) „propter ignoratam antiquiorem scribendi consuetudinem oblitteratam novicio usu, qui *devulsit* praetulit.“ 68, 124 ***volturium*** corrigendum ex *voltarium GDCp [P1] voluntarium H vultarium L*, 61, 209 ***volt*** pro *volunt* revocandum est, atque his omnibus exemplis collatis non dubitabimus pro *u* in his: 45, 22 *mavult*, 72, 3 *vulgus*, 61, 216 *parvulus* etc. *o* restituere contra librorum auctoritatem.

U antiquior in *i* mutata est in multis vocibus ut in *simulis*, *pontufex*, *existumare*, *lŭcet* (= *licet*), in superlativis, atque diutius in his ipsis usus fluctuavit, quoad Iulius Caesar in libris de analogia *i* scribendam esse statuit. *U* illa pro *i* etiam a Catullo saepius videtur servata fuisse. Ita, ut exemplum afferam, ubique videtur revocanda esse in ***lubet*** antiquiore sed divulgatissimo. Quod quidem in codicibus legimus 15, 11 bis (de codicum scr. cf. Schwabii edit. pg. 180), 61, 133; 17, 17 (*libet D*), 24, 9; 61, 211 (*ludet H*), 38, 7 (*libet LC*), 39, 14 (*iubet H*), 40, 6; 76, 14 (*qualibus D*[1]). 62, 36 omnes codices habent *at libet* praeter *T*, qui *adlucet* praebet corruptum ex *at lubet*. 62, 6 *lubeat* legimus (*libeat LCH*), 61, 41 *lubentius* (*libentius D*[1] *H*), 27, 5 *iubet* codicum in *lubet* corrigendum est. Quapropter haud dubitare possumus aliis locis, ubi libri habent *libet* (ut 2, 6) vel *libenter* (ut 44, 6 et 31, 4: *libente GLCH*) *u* illud restituere. — Magis in dubio manet, utrum 4, 4 ***cognotissima*** *o* breviata sit retinendum, an *cognitissima* scribendum. Mihi equidem ex analogia illud videtur defendi posse. Extant enim formae *agnotus* et *agnoturus* (cf. Neuii gr. L. II pg. 433). Quare ita statuendum erit de illo. Primaria et antiquior forma erat *cognōtissuma*, inde *o* breviata orta est haec *cognŏtissuma* vel *-ima*, tum *o* in *i* mutata *cognitissima* (cf. Corssenius Ueber Ausspr., Voc. u. Bet. der lat. Spr. I pg. 372). — *E* antiquior pro *i* servata est in ***derecta*** (22, 8) pro *delecta* codicum

restituendo. Nam „*derige*, *derigit*, *derexere* etc. Medicaeus Vergilii codex sexiens, nec saepius idem *dirige dirigite* etc." (Lachm. ad Lucr. pg. 247). 63, 56 *dirigere* legimus.

Contra vero in nonnullis *i* recentior est pro *e* divulgata: 44, 13 *gravido* (*gravedo LCp*), 55, 25 *pinnipes* (de scr. codicum cf. Schwabii edit. pg. 190 ex.) cl. *pinna* apud Lucr., Varr., Enn., *pinniger* apud Lucr., aliis. Etiam *ni* pro *ne* uno loco (61, 153) in codicibus servatum est (cf. Lachm. ad Lucr. pg. 117), cuius ratio auctore Ritschelio haec videtur esse. Antiqua forma *ne* fuit, unde *nei* ortum est (fortasse 62, 59 restituendum, ubi omnes libri *nec* praebent). *Ei* illud, de quo paulo post uberius agam, fere ubique in *ī* transiit, atque ita ex *nei* orta est forma *nī*. Ut vero hoc distinguatur a *ni* pro *nisi* posito (quod et ipsum *nei* scribebatur, ut producta significaretur *ī*), antiquior postea restituta est forma *ne*. Denique *antistans* (codd. *antistas*) 9, 2 legimus, quod et ipsum apud antiquiores ut Lucr. et Varr. extat. — *I* pro *u* antiquiore 10, 10 habemus, nam in libris *monimenta* scriptum est (*monumenta* in solo *H*), quae vocis scribendae ratio etiam, ut alia omittam, apud Varronem l. L. VI 6 invenitur, et 17, 6 in *Salisubsilis* pro *Salisubsulis*, quod ut *consul*, *praesul* a *saliendi* verbo descendit; inde *e* pro *u* in hoc *fulgeret* pro *fulguret* (66, 94). In his forma antiquior Augusti aetate denuo pervulgata, illa obsoleta erat.

Postremo *ei* pro *i* longa saepe in codicibus servatum, aliis locis certa coniectura restituendum est. Ne longus sim, de usu illius *ei* satis noto nunc non disseram, sed delego ad ea, quae Schweizerus in Kuhnii Zeitschr. f. vgl. Spr II pg. 356 sq. ea de re disseruit et Lachm. ad Lucr. pg. 244 sq. Eo auctore in Catulli codicibus unum pluralis exemplum intemeratum remansit 61, 232 *bonei coniuges* (*D*[1] *G*[1], alii *bolnei*, *holnei*, *bonlei*), vocativi item unum 23, 1 *Furei*. Quibus ego equidem hoc abl. pluralis adicio exemplum 46, 3 *aureis* (*G C*[a] *H*, alii *auris*). At poetam nostrum non Lucilii regulam secutum esse, qui *i*

pinguem solam secundae declin. vocativi in *i* cadentis et plur. nominativi eiusdem declin. itemque dativi et ablativi plur. primae secundaeque per *ei* scribendam esse censuerat, sed potius Attii rationem, qui statuerat, ut ubique *i* longa per *ei* redderetur (quod Ritschelius docet), testantur genetivi exempla complura: 28, 15 ***Romulei** Remique* (*romuli D*), 61, 206 *pulveris* ***Africei*** (*ex ericei GCH ericet L eritea D*), 63, 91 ***Dindymei*** (sic *L dindimenei G*), 64, 278 ***Pelei*** (cf. supra pg. 8), 65, 14 ***Itylei*** *(ythilei G ithilei LCH ithelei D*[1]). His accedit 55, 13 ***Herculei***, quod pro dativo accipio cum Lachmanno (cf. supra pg. 8). 77, 3 ***mei*** legimus pro *mi* i. e. mihi (cf. pg. 25), ad quod Lachmannus adnotavit: „quamquam haud scio an pronomina personalia Lucilius exceperit", et 39, 2 ***sei*** pro *si* (*Lr: sed H seu GDLC*). — Ad extremum in memoriam redigo quae supra pg. 10 de his *dei* et *deis* disserui, ex quibus unum fortasse illis addendum est exemplum 76, 26 ***dei*** monosyllabum (cod. *G dii DLCHp*).

Illa certe ita in codicibus tradita omni dubitatione carent, sed aliis locis ex scriptura corrupta certissima coniectura *ei* restituere possumus, cum saepissime *e* sit servatum. Ita, ut exempla nonnulla componam, assequimur formam nom. pluralis 22, 6 ***novei*** (*nove GLC novem D*[1] *Hp*), voc. plur. 29, 23 ***piissimei*** (coni. ex *opulentissime* vel *-issimae* librorum), genetivi 66, 74 ***verei*** (codd. *vere*; *veri D*), 68, 65 ***imploratei*** (codd. *implorate*), 34, 23 ***antiquei*** (codd. *antique*); inde 37, 11 ***mei*** pro *mi* dativo (codd. *me*), 10, 22 ***quei*** pro *qui* nom. sing. (codd. *que; qui D*), 16, 12 ***quei*** pro *qui* nom. plur. (*que GD*[1] *H qui LC*). Tum 55, 12 ***heic*** pro *hic* adverbio scribendum est (*hec G [P1] haec LCH hic D*) et item 67, 39 (*hec G [P1] haec LC hic D*[1] *hoc H*), 21, 9 ***atquei*** (codd. *atque*) idemque 68, 141 (*atque GHp [P1 Lr] atq₂ L at quia DC*). Et huius quidem antiqua fuit forma *atque*, unde *atquei*, postremo *atqui* ortae sunt.

Denique illud *ei* enucleari potest ex librorum scriptura 57, 9 **s o c i e i** (codd. *socii et*) nom. plur.; 55, 16 **l u c e i** (*tucet GD*[1] *H licet LC*) dat.; 61, 210 **l u d e i** (codd. *ludere*), 63, 10 **t a u r e i** (codd. *tauri et*), 68, 81 **n o v e i** (*novit G vovit LCH novum D*) gen. sing.; 12, 14 *ex* **H i b e r e i s** (codd. *exhibere*), 61, 222 **i n s c i e i s** (codd. *insciens*) abl. plur.; 4, 23 **m a r e i** (codd. *amaret*) abl. tertiae declinationis. Accedit 82, 4 **s e i** ex *seu* librorum emendandum.

Pauca etiam liceat addere, quae viris doctis debeo, de scribendi ratione verborum *peierandi*, *demonstrandi* atque huius *postquam*.

52, 3 **p e r i e r a t** certe retinendum est cum *G[Lr]*, quae quidem verbi forma antiquior in codd. Plauti, Horatii, Lucani nobis occurrit, neque ex usu videtur evanuisse usque ad medium saeculum primum post Chr. n. (cf. H. Usener ann. Iahn. 91 pg. 226).

Demostrare antiquo tempore in usu fuisse pro *demonstrare* testantur cum similia in Plautinis codicibus (cf. Fleckeisenius ann. Iahn. 60 pg. 261) tum hoc **d e m o s t r e s** librorum Catullianorum (*demonstres LHp*). 55, 2.

Pro *postquam* scribendi ratio **p o s q u a m** antiquior videtur servata esse 11, 23 in codice *D*, de qua cf. O. Ribbeckius ann. Iahn. 77 pg. 187.

Sed haec hactenus. Id unum exemplis adhibitis demonstrare volui — qua in re iam Bergkius et Froehnerus anteierunt — etiam de quaestionibus orthographicis multa nobis, si accuratius in ea inquirimus, in codicibus Catulli manu scriptis quamvis recentibus occurrere, quae ut antiqua et poetae ipsi tribuenda ex libro Veronensi mutuati sint librorum scribae. Haudquaquam enim quaestiones illae ad constituendam grammaticam Latinam parvi sunt putandae. Sed primum oportet quaerere, quid fuerit in libro Veronensi, deinde quid poeta scripserit. Neque vero quidquam in hoc neglegendum est, et diligentissime variae

codicum superstitum lectiones sunt inspiciendae. Tum multa revivescent, quae etiamnunc in farragine lectionum variarum sepulta iacent. In his, ut unum moneam, longa sed fructuosa erit quaestio de assimilatione praepositionum in compositis et qui fuerit usus poetae nostri in illis adhibendis.

VII.

De deminutivis Catullianis.

Iam pervenimus ad formas deminutivas, quibus Catullus usus sit, accuratius componendas. Satis constat amare Catullum ut Varronem et Lucretium deminutiva, ac generi quidem carminum Catullianorum plurimorum optime ea convenire apparet. In carminibus poetarum, qui eum secuti sunt, rarius inveniuntur. Sed apud Iuvenalem denuo multa legimus, et ultimorum temporum poetae haud pauci usi sunt talibus verborum formis sive docta imitatione antiquissimorum repetitis sive vulgo obtinentibus. Istae vero dictiones quantumvis usitatae in sermone plebeio ac familiari tamen a grandi et elata dictione non minus veterum quam nostro abhorruerunt iudicio. Quapropter Catullus non posuit in carmine Galliambico nisi bis in narratione (v. 35. 74) metri necessitate victus, quod L. Mueller de re metr. pg. 36 censet, nusquam vero in oratione aut Attis aut Cybelae. Neque in c. 62 deminutiva invenimus — neglecto illo *puella* usitatissimo — praeter hoc *flagellum* (v. 52) de summa palmitis parte dictum. Optime autem conveniunt naturae carminis 25, ubi formis illis et similiter sonantibus pulcherrime Thalli cinaedi mollities depingitur sic:

Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo
vel anseris medullula vel imula auricilla.

Atque Catulli adiectiva deminutiva composuit M. Hauptius

in observ. critic. libro (pg. 14); sed complura omisit. Ego equidem deminutiva Catulli, quae septuaginta fere sunt, ita componam, ut primum ea enarrem, quae apud Catullum solum extant, inde quae rariora et vetustiora videntur esse, postremo divulgata, quae etiam apud alios scriptores maximeque apud scriptores aureae aetatis sunt in usu.

Ac primum quidem apud Catullum solum, quod sciam, legimus haece:

1. Substantiva:

25, 2 *auricilla* (coni.),
68, 2 *epistolium*,
55, 7 *femella*,
25, 2 *medullula* (codd. *medulla*),
10, 3 *scortillum*,
67, 21 *sicula* i. e. sica parva, translate pro mentula,
99, 2 et 14 *suaviolum* vel *saviolum*.

2. Adiectiva:

64, 316 *aridulus*,
57, 7 *eruditulus*,
61, 193 *floridulus*,
25, 2 *imulus*,
63, 35 *lassulus* (Hauptius omisit),
25, 10 *mollicellus*,
69, 4 *perlucidulus* vel *pellucidulus*,
66, 63 *uvidulus* (coni.).

Nomina propria deminutiva, quae separatim profero, sunt:
59, 1 *Rufulus* (coni.),
45, 13 *Septumillus* (coni.),
12, 17 et 47, 3 *Veraniolus*.

Rarius et plurimum apud auctores aut antiquiores aut mediae infimaeve Latinitatis haece reperimus:

1. Substantiva:

61, 181 *brachiolum* (de brachio hominis hoc solo loco;

Veg. veter. 1, 25 brachiola videntur esse venae quaedam in utroque latere equorum),

68, 36 *capsula* (Fab. Pict. ap. Gell., Plin., Seneca),

66, 16 *lacrimula* (Cic. Planc., Ter. Eun.),

25, 10 *latusculum* (Lucr. semel),

puellula quater (bis ex *puellae* forma codicum corrigendum. — Ter. Phorm., Pompon. apud Non.),

56, 5 *pupulus*, quo poeta significat puerum parvulum (Senec. — Arnob de imaguncula dicit),

23, 19 *salillum* (Plaut. Trin. semel),

61, 13 *zonula* (Seren. ap. Non., Lamprid. Al. Sev.).

2. Adiectiva:

29, 8 *albulus* (de aqua Mart., Plin. h. n, Suet. Aug. et Ner., Orelli inscr. quater),

17, 13 *bimulus* (Suet. Cal. 8. — Haupt. om.),

64, 131 *frigidulus* (quod Hauptio auctore a Catullo sumpsit simius eius in Ciri 250. 347),

15, 4 *integellus* (Cic. fam.),

55, 17 *lacteolus* (Prudent., Auson.),

64, 331 *languidulus* (Cic. ap. Quinct. — Hauptius om.),

16, 4 *molliculus* (Plaut. Cas. — Est etiam cogn. Rom. ut Ti. Minucius Molliculus Liv. XL 35),

65, 6 *pallidulus* (Hadr. ap. Spart. Hadr. 25),

99, 6 *tantillus* (Plautus saepius, Celsius semel. — Haupt. om.),

17, 16 *tenellulus* (Laev. ap. Prisc.),

3, 18 *turgidulus* (Paul. Petr.),

41, 3 *turpiculus* (Varro l. L., Cic. de or.).

Verbum deminutivum est

25, 11 *conscribillo* (Varro ap. Non.):

deminutivum Graecum illud

64, 320 *calathiscus* (Petr. satur.).

Iam sequuntur deminutiva, quae saepius atque etiam apud poetas aureae inveniuntur aetatis.

1. Substantiva:
30, 2 *amiculus*,
99, 8 *articulus*,
42, 9 *catulus*,
42 *codicillus* quinquies,
flagellum i. e. flagrum parvum 25, 11; de palmite vitis 62, 52;
105, 2 *furcilla*,
labellum septies,
23, 21 *lapillus*,
lectulus ter,
libellus quater; ter librum parvum significat, semel tabernam librariam (55, 4);
28, 6 *lucellum*,
mentula quinquies,
munusculum bis,
ocellus septies; 31, 2 de plurium rerum optima et praestantissima, 50, 19 de homine, quem maxime amamus:
4, 4 et 17 *palmula* pro remo,
papilla quater,
17, 3 *ponticulus*,
puella usitatissimum saepe (cf. supra *puellula*),
61, 22 *ramulus*,
13, 7 *sacculus*,
28, 2 *sarcinula*,
tabella liminis 32, 5; pugillares tabellae significant 50, 2;
67, 39 *tigillum*,
versiculus ter.

2. Adiectiva:
aureolus bis,
bellus quater decies (Haupt. om.),
gemellus bis (Haupt. om.),
misellus quinquies,
61, 216 *parvulus*,

pusillus bis (Haupt. om.).

27, 1 *vetulus;*

tum, quorum paulo diversa ratio est,

61, 13 *tinnulus* et, quod septies dixit poeta.

tremulus.

In fragm. 4, si modo Catullianum, haec habemus praeter illa deminutiva:

animula subst. et

miserulus adi. Sed versus Sereno adscribitur a Diomede.

Non minus quam illas erit operae pretium componere voces alias, quas poeta usurpavit, raras easque obsoletas, inde enumerare, quibus usus sit vocabulis Graecis et quae ipse nova videatur invenisse, denique quoad in construendis illis ab usu quotidiano recedat. Alia et plane diversa quaestio erit de re prosodiaca, cuius supra quasi praeteriens occasione oblata mentionem feci, et metrica re Catulli. Atque ea in re magis etiam illud apparebit, quod iam ante indicavimus et aliqua ex parte demonstravimus, inter placita veterum tragicorum et leges novas, quas Ennius sanxit, Catullum quasi medium esse. At id si nunc susciperem, modum huic libello tributum non servarem. Quapropter si illa, de quibus uberius scripsi, viris doctis placuerint, etiam de his, quae modo dixi, post accurate disseram.

Index rerum et verborum.

Index locorum.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 473 7



LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 473 7